

		Habet.	Lege.
Pag. 20.	col. 1. lin. 39.	colntra.	contra.
Ibid.	lin. 40.	ongum.	longum.
Pag. 21.	col. 2. lin. 5.	Flium.	Filium.
Pag. 50.	col. 1. lin. 18.	postiores.	posteriore.
Pag. 51.	col. 2. lin. 26.	contendi.	contendendi.
Pag. 60.	col. 2. lin. 27.	illud.	illum.
Pag. 77.	col. 2. lin. 35.	esse.	est.
Pag. 83.	col. 2. lin. 29.	passibilem.	passibile.
Pag. 127.	col. 1. lin. penult.	Homicidia.	Homicida.
Pag. 143.	col. 2. lin. 13.	comprehenduntur.	comprehenderetur.
Pag. 222.	col. 2. lin. 33.	Clerici.	Cleri.
Pag. 239.	col. 1. lin. 5.	esser.	esset.
Pag. 288.	in not. marg. lin. 2.	parum.	parum.
Pag. 298.	col. 2. lin. 38.	habet.	halet.
Pag. 330.	col. 2. lin. 5.	præcipere.	præcipere.
Pag. 362.	col. 1. lin. 16.	electionem.	electione.
Pag. 379.	col. 1. lin. 19.	circumscifos.	circumscifor.



NOTÆ



NOTÆ HISTORICÆ  
IN JUS CANONICUM.  
PROÆMIUM.

1. **C**UM Jus Ecclesiasticum (quod Rivulus quidam, & Appendix Evangelii est, dogmata illius explicans, & præcepta ad particulares dispositiones applicans) eundem cum illo finem habeat, à Gentium Magistro ad Titum c. 3. v. 12. indicatum, videlicet: *Ut iuste, & pie vivamus in hoc seculo*: ad justam autem, & piam vitam Christiani requiratur, ut primo reguletur ejus intellectus per *Veritates fidei*, quia *justus ex fide vivit*, ad Rom. 1. v. 17. & *sine fide... impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11. v. 6. Secundo, ut per *Leges* ordinetur ejus voluntas, ac externa conversatio, quia *Fides sine operibus mortua est*, Jac. 2. v. 20. geminis, quemadmodum illud, materiis absolvitur: nimirum *Jure credendorum*, quo dirigitur intellectus, & *Jure agendorum*, quo regulatur voluntas, & externa conversatio.
2. *Regulas generales credendorum* Compiler Decretalium S. Raymundus de Peñafort, sacerrimi Ordinis Prædicatorum, sub Titulo primo Libri primi suæ collectionis locat, quem *de summa Trinitate, ac de Fide Catholica* inscribit; *Regulas vero Generales agendorum* sequentibus tribus Titulis comprehendit, quos *de Constitutionibus, de Rescriptis, & de Consuetudine* prænotat.
3. In his quatuor Titulis generalia continentur principia, ac veluti fontes, locique communes, ex quibus in Jure publico Ecclesiastico respective firma promuntur argumenta; quapropter & Prolegomenum instar habentur, & eorum interpretatio veluti præambulum quoddam ad vastam Juris Ecclesiastici prudentiam consideratur.
4. Cum autem intentionis nostræ non sit Prolegomena Juris publici Ecclesiastici texere; sed ea Notis Historicis, Studioque Juris Ecclesiastici in Germania fortassis

Tom. I.

A

15

sis profuturis, dumtaxat illustrare, haecque tituli posteriores de *Rescriptis*, & de *Consuetudine* vix patiantur; cum prior, quantum ad praesens institutum attinet, sub titulo de *Constitutionibus* commode veniat,

& de posteriori id per se pateat: circa duos priores solummodo occupabimur; sub priori de *Symbolis*, quae Jus credendorum, sub posteriori de *Constitutionibus*, quae Jus agendorum exhibent, tractaturi.

## TITULUS I.

### De Summa Trinitate, ac Fide Catholica.

**S**UB hoc Titulo Compiler Decretalium locavit Symbolum Concilii Lateranensis quarti, quod incipit: *Firmiter credimus*; unde occasionem sumimus quaedam de Symbolis differendi.

#### CAPUT UNICUM.

De Symbolis in Genere, & in Specie de Symbolis Catholicorum.

#### §. I.

De Symbolis in Genere.

**M**ISSIS Symbolis aliarum Sectarum, quarum fere nulla est, quae sua non ostendat Symbola, librosque symbolicos, Notas nostras historicas in Symbola Fidei Catholicae, seu in illas collectiones dabimus, quibus *Jus credendorum* è Verbo Dei scripto traditove haustum, memoriae juvanda causa brevibus aliquot sententiarum, seu articulorum comprehenditur, & quibus Orthodoxi, seu tesseris, ab Heterodoxis discernuntur, numerum praecipuorum, auctores à quibus, tempus quando, locum ubi, occasionem quare condita sunt, referendo, & limam criticam, dogmaticamque, ubi opus fuerit, adhibendo.

6. Symbolum autem duplicem potest habere significationem. Primo, ut idem significet ac Nota, seu Character, quo quis ab altero dignoscitur veluti tessera, quo sensu Symbola Fidei sunt *Sententiae*,

quibus homo fidelis ab infideli distinguitur. Haecque, si etymologiam Graeci nominis Symbolon spectes, propria ejus est interpretatio. Secundo, ut significet collationem, vel collectam: & sic Symbolum est totius Legis Catholicae Fides in unum collecta, seu brevis, & praecipua summula credendorum. Verum hanc etymologiam, quam adferunt Ecclesiastici Scriptores Rufinus, S. Ildorus, Rhabanus Maurus, & post eos Innocentius III. lib. 2. Mysteriorum Missae c. 49. genuinam non esse contendit Natalis Alexander differt. 12. in fac. 1. hist. Eccl. *Qui enim* (inquit) *vim graecae vocis noverunt, & veteres Grammaticos evolere, falsum esse fatentur, quod Symbolum Collationem, sive Cenam collatitiam significet, veteres namque collatitiam Cenam Symbolam, non Symbolum dixerunt, ut multis probat Gerardus Vossius libro de tribus Symbolis diff. 1. c. 17. Addit ibidem numero tertio, derivari posse hoc nomen non à militari, sed à contractuum tessera. Est namque tessera pacti, quod inimus cum Deo in Baptismo, sicque illud accepisse S. Petrum Chrysologum serm. 62. de Symbolo Apostolorum refert. Sed quidquid sit circa Symboli etymologiam, certum est, Symbola Catholicorum secundum ea, quae continent, & esse fidei collectas, & tesseras veluti militares, quae fidelis ab infideli discernitur, atque etiam tesseras contractus vel pacti, quod inimus cum Christo in Baptismo.*

7. Quantum ad Auctores Symbolorum docet S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 10. in (.) ad solum Summum Pontificem, tanquam Caput totius Ecclesiae pertinere ordinationem, vel editionem Symboli; ita ut quaecumque similis collectio rationem Symboli non habeat, nisi vel ipso edente, vel editum à Concilio generali, particulari, aut homine privato approbante. Unde ad tertium subdit: *Dicendum, quod Athanasius non composuit manifestationem Fidei per modum Symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinae; ut ex ipso modo loquendi apparet: sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, Authoritas Summi Pontificis est recepta, ut quasi Regula Fidei habeatur.*

8. Nunc quantum ad numerum Symbolorum, quamvis teste S. Leone M. Ep. 23. ad Pulcheriam Augustam, ipsa Catholici (id est Apostolorum) Symboli brevis, & perfecta Confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est consignata sententiarum, tam instructa sit omni munitione caelesti, ut omnes Hereticorum opiniones suo ipsius possint gladio detruncari; plura nihilominus Symbola Fidei successively in Ecclesia Catholica fuerunt edita, tum ad exclusionem Haeresum pro tempore enatarum; tum ad majorem veritatum in prioribus implicite contentarum explicationem. Inno aliquibus novae profusus, ac antea communiter non usitatae, nec nisi sensu in sacris paginis contentae voces insertae sunt, ut Niceno vox *Consubstantialitatis*, Lateranensi vox *Transubstantiationis*, &c. exigentibus id astutus novatorum locutionibus, quemadmodum in progressu videbimus.

9. Nec huic multiplici obstat (ut hic obiter advertamus) quod Synodus Ephesina actione sexta ad finem lanciat: *Aliam fidem nulli licere proferre, vel scribere, vel componere, praeter definitum à SS. PP. qui in Nicea congregati sunt cum Spiritu S. atque hanc sanctionem anathemate roborat; idemque reiteretur in gestis*

Chalcedonenis Synodi actione quinta prope finem, prout videre est in Coletana collectione tomo 3. pag. 1219. & tomo 4. pag. 1459.

10. Nam, ut bene respondet S. Thom. 22. q. 1. a. 10. ad 2. *Prohibitio, & sententia Synodi se extendit ad privatas Personas, quarum non est determinata de fide; non enim per hujusmodi sententiam Synodi Generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere: non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam.* Quibus innuit, Symbola, quae edita fuerunt successively in Ecclesia post Symbolum Apostolorum, ab illo non esse aliena, seu fidem aliam continentia, sed Nicenam hujus, & sequentia praecedentium declaratoria. Quemadmodum teste S. Augustino Tr. 36. in Jo. quatuor Evangelia non tam sunt quatuor Evangelia, quam quatuor Libri ejusdem Evangelii.

11. Quamvis ergo Symbola in Catholica Ecclesia sint numero plurima; ita ut testetur idem S. Doctor 2. p. q. 36. a. 2. ad 2. *In quolibet Concilio constitutum fuisse Symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in Concilio damnabatur; ex his tamen nonnulli celebriora seligemus, Notis Historicis illustranda: videlicet Symbolum Apostolorum, Nicenum, Constantinopolitanum, Symbolum vulgo S. Athanasii, Lateranense, Viennense, Literas pro instructione Armenorum editas, & Tridentinum.*

12. Quod tandem occasione edendi Symbola concernit, eam, ut jam advertimus, dederunt Haereses successively in agro Ecclesiae, veluti zizania inter triticum, pululantes, quas esse oportere, ut & quae probati sunt, manifesti fiant, docet S. Paulus 1. ad Cor. c. 11. v. 19. *Manifestabantur autem, & de facto manifestantur probati in fide Catholica per Symbola, tanquam per tesseras triticum à lolio, Filios Dei à filiis belial discretivas. Quae autem Haereses dederint occasionem*

octo Symbolis, à nobis in Thema assumptis, ex progressu patebit, dum de singulis in specie tractabimus.

## §. II.

De Symbolis Catholicorum in Specie, & primo de Symbolo Apostolorum.

13. **P**ER Symbolum Apostolorum illud intelligitur, quod Catechumenis tradebatur olim, illudque certo die ante Baptismum reddere, seu memoriter recitare tenebantur competenter; & hodie quilibet Fidelis de Præcepto Ecclesie scire tenetur, juxta vulgatum illum versiculum *Credo Pater, &c.*

14. Circa hoc Symbolum unum est certum tam apud Ortho-quam Heterodoxos; unum contraversum inter illos, & unum disputatum inter ipsos Orthodoxos. Certum est apud utrosque, hoc Symbolum esse antiquissimum, cum ipsi Heterodoxi epocham illius ultra Sæculum V. non extendant; Calvino lib. 2. *Institut.* fatente, illud ab ipso Sæculo Apostolorum existisse; aliis contententibus, illud Sæculum IV., aliis V. ab Ecclesia Romana esse conditum, vel denique ab Authoribus Canonum vulgo Apostolorum una proculsum, quorum epocha Sæculum V. vel sexti medium excedere nequit. Contraversum est inter Catholicos, & Acatolicos Auctores, num ipsi Apostoli hoc Symbolum considerint? Denique Catholici Scriptores non conveniunt de tempore, quo conditum fuit. Item de eo, quod multis persuasum est, singulos nempe Apostolos singulos articulos condidisse, eo ordine, quo referuntur in sermone 115, qui S. Augustino adscribitur.

15. Priusquam tamen ad decidenda contraversa puncta procedamus, animadvertendum est ex Jacobo Ulerio in Diatriba

de Romanæ Ecclesie Symbolo Apostolico vetere, Symbolum, quod dicitur Apostolicum, primis statim sæculis non una verborum formula in Ecclesiis tum Orientis, tum Occidentis fuisse recitatum. In cuius asserti confirmationem primo loco adducit variantes lectiones ejusdem in Ecclesiis Occidentis, quarum agmen ducit Symbolum versus Romanum, omnium brevissimum; quod in duobus exemplaribus anno *Ætæ Christianæ 703.* conscriptis, atque in Cöthoniana, & Oxoniensi Bibliothecis asservatis, se reperisse testatur, atque à barbarissimis mundatum, ita sonat.

**C**redo in Deum Patrem Omnipotentem, & in (1) Christum Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum; qui natus est de Spiritu Sancto, & Maria Virgine; qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in (2) Cælos, sedet ad (3) dexteram Patris; unde venturus est judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritu Sancto, Sancta Ecclesia, remissione peccatorum, carnis (4) resurrectionem.

In hoc Symbolo, præter barbarissimos in marginem rejectos, adhuc in postremis articulis Accusativus pro Ablativo poni debet.

16. Huic subnectit Symbolum Ecclesie Aquilejensis, quæ (verba sunt laudati) præter Pronominis *hujus* ad carnis resurrectionem factam adjectionem, etiam Patri titulos *invisibilis, & impassibilis* adjunxit; post Christi quoque sepulturam altera addita appendicula *descendit ad inferna.* Pergit: in Gallicano Fortunati Symbolo, *ascendit ad infernum* legitur: additamentis illis aliis prætermis. Apud Hispanos Christi Anno 785, Etherius Uxaniensis Episcopus, & Beatus Presbyter adver-

(1) Christo Jesu. (2) Cælis. (3) dextera. (4) resurrectionis.

adversus Elipandum Toletanum Archiepiscopum Symbolum Apostolicum ita producit.

**C**redo in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Deum, & Dominum nostrum. Qui natus est de Spiritu Sancto, & Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, & sepultus ad inferna. Tertia die resurrexit vivus à mortuis. Ascendit in Cælos. Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Inde venturus judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Remissionem omnium peccatorum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

17. Postea quasdam aliarum Ecclesiarum variantes lectiones adducit, quarum Romanam Ecclesiam diu testatur fuisse impatientem. Quo tamen hodie Romana Ecclesia utitur Symbolum (verba sunt Authoris) additamentis aliquot auctius legitur ipsa indicat, & infra patebit. Adnumerat deinde ex Platerio Gregorii Papæ Symbolum illud, quo nunc Romana utitur Ecclesia, seu vulgare, atque ea, quæ in illo Romano veteri accesserunt, diverso caractere notat, ut sequitur.

## Symbolum Apostolorum.

**C**redo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Inde venturus judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum Communione. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam æternam. Amen.

18. Secundo loco adfert variantia Symbola Ecclesiarum Orientis his verbis: *De Orientalium præterea Ecclesiarum (ut eo jam veniamus) communi Symbolo ea refert Rufinus: Orientis Ecclesie pene omnes ita tradunt (Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem) & rursus in sequenti sermone, ubi nos dicimus (Et in Jesum Christum unicum Filium ejus, Dominum nostrum) illi tradunt (& in unum Dominum nostrum Jesum Christum, unicum Filium ejus). Hic vero meminisse oportet, apud Orientales duo existisse Symbolorum genera: contractius unum, (quod cum Romano, & Aquilejensi Rufinus contulit), fufus, & explicatius alterum.*

19. Prioris generis fuit Hierosolymitana, Ecclesiarum omnium Matris, illud: *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cæli, & terræ. Et in Jesum Christum Filium Dei, & reliqua Symboli Fidei. Quemadmodum in Ecclesia Hierosolymitana vetere Liturgia legitur; quæ B. Jacobo, ut primo illius Sedis habito Episcopo, tribuitur, & in antiquitatis memoriam etiam adhuc Hierosolymis semel in anno celebrari dicitur. Et quia cætera, quæ sequebantur (quod serio dolemus) ut maxime tum nota, brevitate causa sunt hic omiffa: ut aliquo ea jactura resarciretur modo, integram Sancta, & Apostolice Fidei Confessionem, licet (ut ex visibilium omnium, & invisibilium mentione sub initium facta apparet) aliquanto auctiorem, sicut Hierosolymis à Cyrillo fuit explicata, ex Catechesibus illius undique collectam, visum fuit illius, quo caremus, loco substituere.*

## Symbolum Hierosolymitanum.

**C**redo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cæli, & terræ, visibiliumque omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum: ex Patre genitum ante

omnia secula: Deum verum, per quem omnia facta sunt. Qui incarnatus, & homo factus. Crucifixus, & sepultus. Resurrexit tertia die a mortuis; & ascendit in celos, & sedes ad dexteram Patris, & venturus est in Gloria iudicare vivos, & mortuos: Cujus regni non erit finis. Et in unum Spiritum S. Paracletum; qui locutus est per Prophetas. Et in unum Baptismum penitentia in remissionem peccatorum; & in unam S. Catholicam Ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam eternam.

20. Brevius aliquanto fuit Alexandria Ecclesie, ut videtur, illud Symbolum, quod Arius, Ecclesie illius Presbyter, Orthodoxum se simulans, Constantino Imperatori obtulit.

**C**redimus in unum Deum Patrem Omnipotentem. Et in Dominum Jesum Christum Filium ejus, ex eo ante omnia secula genitum, Deum Verbum: per quem omnia facta sunt, & que in celis, & que in terra. Qui venit, & incarnatus est, & passus, & resurrexit, & ascendit in celos, & iterum venturus est iudicare vivos, & mortuos. Et in S. Spiritum. Et in carnis resurrectionem, & in regnum celorum, & in unam Catholicam Dei Ecclesiam; que a finibus usque ad fines est.

Et hæc ad dilucidanda controversa puncta, de hoc Symbolo superius adnotata, ex laudato Uferio animadvertisse sufficiat; nunc ad principalem Questionem enucleandam procedamus.

### QUÆSTIO CRITICA.

An Symbolum, quod Apostolicum appellatur, ab Apostolis traditum sit?

21. **N**egat Gerardus Vossius libro de tribus Symbolis, Dissertatione prima; contendens hoc Symbolum non

dici Apostolicum, quia sit ab Apostolis conditum, sed quia Apostolicæ doctrinæ compendium est. Dubitat Calvinus Lib. 2. Instit. c. 16. Audacior illo est Chamierus, qui lib. 9. de Canone cap. 10. ait: Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non esse falsum, certe, quod proximum falso sit, nemo negat, incertum est. Quorum sententia, etiam non sit hæretica, cum contrarium ab Ecclesia de facto definitum non sit, temeraria tamen est, teste Annato p. 2. apparatus in Theol. lib. 5. Quod absque probabili ratione receptæ Patrum, Theologorumque sententiæ contrarietur. Quam ut solide, & clare refellamus.

22. Præciendum est primo: præsentem questionem bifariam tractari ab Authoribus, qui hoc Symbolum Apostolis vindicant; aliis dicentibus illud quidem quoad sensum, & doctrinam ab Apostolis esse editum, non quoad dispositionem, & verba, ut refert Annatus L. cit. in ult. Resp. Aliis de contra contententibus, illud etiam quoad dispositionem, & verba ab iisdem concinnatum esse, ut tenet Natalis Alexander Dissert. 12. in sec. 1. hist. Eccl. Per Symbolum autem Apostolicum laudati Authores intelligunt Symbolum vulgare, seu illud, quo nunc Romana utitur Ecclesia; ut legenti patebit.

23. Præciendum II. quod sicut vera est prior sententia, ita nullatenus sustineri potest secunda, quam satis confuse propagat Alexander, si de vulgari Symbolo sit sermo, ut infra evincemus. Quapropter, ad evitandam eandem confusionem, duplici propositione præsentii questioni satisfacemus; quarum prima statuemus, Symbolum, quod Apostolicum appellatur, ab Apostolis traditum esse, præciudicando an quoad sensum, & doctrinam tantum, an vero etiam quoad singula verba, & sententias. In secunda vero ex testimoniis S. Ambrosii, & Ruffini asseremus, Symbolum vetus Romanum, quod supra n. 15. recitatum est, non vero vulgare, quo nunc Romana utitur Ecclesia, & ibi n.

27. pariter adnumeratum est, iisdem verbis, iis sententiis, eoque Ordine constare, quibus ab Apostolis est editum.

### PROPOSITIO I.

Symbolum, quod Apostolicum appellatur, ab Apostolis editum est.

24. **H**ÆC Propositio, cum factum contineat, ex Patrum testimoniis, quæ apertissima sunt, est probanda. Et primo quidam illam suadent ex S. Clemente, qui fuit S. Petri Discipulus, & in ep. ad Jacobum Fratrem Domini relata apud Coletum tom. 1. Concilior. pag. 83. hæc scripsit: Christo resurgente, & ascendente in Cælum, misso S. Spiritu, collata Apostolis Scientia linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum, quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque, quod sensit, dicendo, considerunt; ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Item ex S. Augustino, qui Sæculo V. floruit, sermone 115. de tempore, ubi ita legitur: Petrus dixit: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Joannes dixit, Creatorem celi, & terræ, &c. Verum quamvis fatear hoc posterius testimonium magni momenti futurum, ad evincendam genuinitatem non tantum Symboli Apostolorum in genere, sed etiam in specie, quod vulgare sit tam quoad verba, quam sententias, ac ordinem ab Apostolis conditum; primum vero propositionem nostram, prout jacet, plane demonstraturum: quia tamen utrumque esse supposititium peritioribus Criticis vix non in comperto est; illis hoc loco contra hæreticos, aut alios quovis pugnare nolo, cum telis abundemus ex genuinis Sanctorum Patrum operibus desumptis. Quos ordine chronologico placet adducere. Et

25. Primum S. Irenæus S. Polycarpi, qui S. Joannis Auditor fuit, Discipulus, floruitque seculo II. Libro 1. adversus Hæ-

reses c. 2. in editione Basileensi de a. 1560. pag. 20. ita habet: Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terre seminata, & ab Apostolis, & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit Cælum, & Terram, Mare, & omnia, que in eis sunt; Et in unum J. C. Filium Dei incarnatum pro nostra salute, &c.

26. Secundo Tertullianus author Sæculi tertii Libr. de præscriptionibus Hæreticorum c. 37. inquit: In ea Regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit. Porro nomine Regule Symbolum istud intelligit, de quo agimus, ut constat ex Lib. de velandis Virg. c. 1. Regula, inquit, fidei una est, sola immobilis, & irreformabilis, credendæ scilicet in unum Deum Omnipotentem, Mundi conditorem, & in Filium ejus J. C. &c.

27. Tertio Lucifer Calaritanus Author Sæculi IV. libro adversus Constantium Imperatorem, hoc Symbolum appellat, formam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos traditam.

28. Quarto S. Ambrosius Sæculi IV. itidem Scriptor, Libro 1. Ep. 7. ad Syricium Papam ita scribit: Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratam semper custodit, & servat. Habetur hæc Ep. in operibus S. Ambrosii editionis Parisinæ de a. 1632. tom.

5. pag. 186. Omitto aliorum Patrum in idem consensum, cum alata testimonia rem conficiant.



## PROPOSITIO II.

Si standum sit testimonio S. Ambrosii, & Ruffini, non Symbolum vulgare, sed Romanum vetus, seu illud, quod eorum tempore in Ecclesia Romana recitabatur, iisdem plane verbis, iisdemque sententiis, atque eo ordine constat, quibus ab Apostolis est traditum.

29. **P**robatur. S. Ambrosius, ut mox vidimus in cit. ep. ita loquitur: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat.* Quod autem S. ille Pater loquatur de eisdem intemeratione non tantum quoad sensum, sed etiam quoad verba, & sententias, constat ex Ruffino, eisdem coevo, in expositione Symboli ita differente: *Verum priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commemorandum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta; in Ecclesia tamen Urbis Romae hoc non deprehenditur factum: quod ergo propterea esse arbitror, quod neque Haeresis ulla ibi sumpsit exordium; & mos inibi servatur antiquus, eos, qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publice, id est, Fidelium populo audiente, Symbolum reddere: & utique adjectionem unius saltem sermonis, eorum, qui praecesserunt in fide, non admittit auditus.* Sed ambo hi Patres loquuntur de Symbolo Romano veteri, non de vulgari: ergo si standum sit eorumdem auctoritati, non vulgare, sed Romanum *Vetus* est illud, quod iisdem plane verbis, iisdem sententiis, atque eo ordine constat, quibus ab Apostolis est traditum. P. m. ambo hi Patres loquuntur de illo Symbolo, in quo illa desiderantur, quae in vulgari habentur; ergo. P. a. Et in primis constat ex ipso Symbolo veteri Romano supra relato, & fatetur ipse Alexander, in illo non reperiri particulas *Creato-*

*rem cali, & terræ.* 2. Ruffinus l. c. testatur: *Sciendum sane est, quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna.* 3. idem Ruffinus ibidem testatur, in illo pariter non exitare articulum de *Vita aeterna*, his verbis: *Sed ultimus iste sermo, qui Resurrectionem pronuntiat, summam totius perfectionis succincta brevitate concludit.* Idem habet S. Hieron. ille Ruffini adversarius acerrimus ep. 38. ad Pammachium editionis Benedictinae Tom. 4. pag. 306. ergo dicti Patres loquuntur de illo Symbolo, in quo praedicta verba desunt: cum igitur utrumque Symbolum non possit quoad verba, & sententias esse intemeratum, & Patres citati dicant Romanum Symbolum quoad verba, & sententias esse intemeratum, de veteri Romano, in quo dicta verba desunt, non de vulgari, in quo adiunt, intelligendi sunt.

## Momenta adversariorum primæ Propositionis expenduntur.

**A**dversarii nullum priscorum Patrum testimonium adducere valentes, quo vel negaretur, vel in dubium vocaretur sententiæ nostræ veritas, ad leviora Critices Momenta confugiunt.

30. Et primo quidem tantis Auctoribus tantum factum abjudicant: quia de huius Symboli compilatione nulla fit mentio in Apostolorum live actis, sive epistolis.

31. 2. Quia non est relatum in Scripturæ Canone; quod utique fieri debuisset, si ab Apostolis revera fuisset conditum, non enim minoris esset ponderis, quam eorumdem epistolæ.

32. 3. Quia Symbolum non erat necessarium Fidelibus nisi in eodem, quasi quodam scuto, se se opponerent Hereticis, qui tempore Apostolorum fuerunt nulli.

33. 4. Quia Patres non conveniunt in assignanda ratione, quæ Apostolos impulsisset, ut ederent Symbolum.

34. 5. Nec Authores de tempore, quo

ab

ab Apostolis fuisset editum: ergo à primo ad ultimum, Symbolum, quod dicitur Apostolicum, ab Apostolis non fuit editum.

Sed hæc leviora sunt, quam ut scrupulum circa Authores huius Symboli moveant. Quare

35. Ad primum R. multa alia esse ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apostolorum ullus meminit. Nec argumentum negativum, seu à silentio petitum magni ponderis est, præsertim in materia subtrata; cum adit ratio, quare huius Symboli nulla fiat mentio sive in epistolis, sive in actis Apostolorum: eo quod ab Apostolis non sit scripto traditum, sed Fidelium memoriæ commendatum, ut testatur S. Hieron. cit. ep. 38. ad Pammachium, dicens: *Symbolum fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quæ etiam ratio est, quare non sit relatum in Canone. Per quod patet ad secundum.

36. Ad 3. R. Primo negando temporibus Apostolorum nullas fuisse Hæreses, tunc enim Simoniani, Cerinthiani, & Ebionitæ grassabantur. Tunc inter Fideles obrepebant seductores, falsi Prophetæ, falsi Fratres, ut Paulus in suis Epistolis conqueritur.

Resp. 2. Transmisso etiam, quod ante dispersionem Apostolorum (quo tempore Critici Symbolum istud ab Apostolis conditum existimant) nullæ existerint Hæreses; nego tamen inde inferri, Apostolos nullam habuisse necessitatem illud condendi. Nam cum hoc Symbolum sit primitivum, in se summam complectens quidquid à Fidelibus sive necessitate mediis, sive præcepti est credendum, ad illud tradendum induci poterunt, etiam ex aliis motivis, quæ ad calcem præsentis questionis referemus.

Ad 4. & 5. inferius plura dicemus. Hic sufficit advertere: quod dissensus Patrum de motivo ex quo, item Authorum de tempore quando hoc Symbolum est

Tom. I.

conditum, non destruat, sed supponat eos sentire, illud esse ab Apostolis conditum.

37. Obijciunt II. Si Symbolum hoc esset ab Apostolis conditum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur; non his verbis hæc in Ecclesia, aliis in alia; imo nec hic longæ pluribus, alibi paucioribus multo sententiis constitisset; atqui variis in Ecclesiis varia prope fuerunt Symbola, aut certe alia & alia verba Symboli, imo in quibusdam longe plures, in aliis pauciores sententiæ: ergo Symbolum istud non est ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur. Minor, præterquam quod constat ex variantibus formulis supra allatis, probatur accurata combinatione variationum.

38. Et 1. quidem Articulus I. vulgaris Symboli sic habet: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cali & terræ, cui Symbolum Orientale addit vocem unum; in Aquilejensi & Romano veteri omittuntur illa verba, Creatorem cali & terræ; tandem in Aquilejensi post ly Omnipotentem, addit, invisibilem & impassibilem.*

39. 2. In III. Symboli Articulo habet vulgatum: *Qui conceptus est de Spiritu S., natus ex Maria Virgine.* Aquilejense habet: *Qui natus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.* Romanum vetus: *Et Maria Virgine.* Ierosolymitanum duntaxat: *Qui incarnatus & homo factus est; ut constat ex S. Cyrilli Ierosol. Catechesi 12.*

40. 3. Articulus IV. in vulgari sic fertur: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* Aquilejense passionem & mortem præterit, & sic habet: *Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus descendit ad inferna.* Romanum vero vetus descensum ad inferos omisit, ac similiter Symbola Orientis.

41. 4. Circa IX. Articulum variant

B

Aqui-

Aquilejense, Vetus Romanum, & vulgare. Cum enim vulgare Symbolum habeat: *Credo S. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*, reliqua duo & to *Catholicam*, & *Sanctorum Communionem* omittunt. Et certe in Ecclesie exordiis non est verosimile vocem *Catholicam* existisse in Symbolo, cum nonnisi post Apostolorum tempora Ecclesia fuerit Catholica, id est, *Universalis*, & per totum orbem diffusa. Certe S. Augustinus libro de *Fide & Symbolo ad Catechumenos*, postquam deventum est ad S. Ecclesiam, declarationis causa apponit utique *Catholicam*; in ipso tamen Symboli textu hanc vocem non habet. Nec etiam apud Ruffinum legitur, qui sane eam vocem explicauisset, si agnouisset, nec enim usque adeo levis momenti est.

42. 5. In Articulo XI, quo profitemur resurrectionem carnis, Symbolum Aquilejense subdit, *huius carnis*. Hic porro desunt Symbolum Aquilejense & Romanum vetus, uti supra ex S. Hieronymo & Ruffino vidimus. Unde ab utroque abest articulus de credenda *Vita eterna*.

43. 6. In Symbolo, quod Tertullianus representat, pleraque capita Symboli vulgaris desunt: ergo non fuit eodem modo traditum Ecclesie, adeoque non est vere Apostolicum. P. a. ex eiusdem libro de *velandis Virg.* c. 1. ubi inquit: *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum Omnipotentem, mundi Conditorem, & Filium eius Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in caelis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare vivos, & mortuos; & carnis etiam resurrectionem.* In quo, ut patet, omittuntur nostri Symboli capita de Christi descensu ad inferos, de Spiritu S., de Ecclesia, de Sanctorum Communione, de remissione peccatorum, & de vita eterna.

44. His momentis permoti quidam respondent, Symbolum vulgare non esse ab Apostolis conditum quoad eas sententias, illum ordinem, & illa verba, quibus nunc in Ecclesia recitatur; bene vero quoad sensum. Contrariam viam amplectitur Natalis Alexander cit. dissertatione 12. ad object. 5. ubi ita distinguit majorem argumenti: *Non his verbis hac in Ecclesia, aliis in alia, imo hic longe pluribus, aliis paucioribus sententiis consilisset: Si in omnibus Ecclesiis aequè integrum, ac intemeratum servatum fuisset, C. si in aliis Ecclesiis quaedam adjecta sint, vel pratermissa N. Porro in sola Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque plane verbis, & sententiis recitatur, quo ab Apostolis traditum est.* Hancque responsum sileat supra in propositione 2. allatis testimoniis Ambrosii, & Ruffini. Sed quia ibidem demonstravimus, praefatos Patres manifeste loqui de Symbolo Romano veteri, & non de vulgari, opinio Alexandri nequaquam sustineri potest. Quapropter hac responsione rejecta:

45. Resp. I. negando suppositum majoris, quod Symbolum Apostolorum iis sententiis, eo ordine, istis verbis fit ab Apostolis conditum, quibus nunc in Ecclesia recitatur; hoc enim intelligendum est de Symbolo Romano veteri, ut supra demonstravimus. Quapropter hac in parte priorum Authorum sententiam approbamus, qui docent Symbolum vulgare ab Apostolis esse tantum quoad sensum editum; seu in veteri Romano (quod esse Apostolicum quoad literas, & verba sustinemus) virtualiter & implicite contineri ea omnia, quae in vulgari explicite ponuntur.

46. Resp. II. Negando, quod ex supposito, quod admittamus exflare aliquod Symbolum, quod ab Apostolis quoad verba, & sententias est compositum, fieri non poterit, ut diversimode in variis Ecclesiis recitaretur, cum enim teste Hieron.

ron.

ron. ut supra vidimus, hoc Symbolum non fuerit scripto, sed viva voce traditum, non mirum, quod eam intemeratorem ubique non servaverit, quemadmodum Scripturae Canonicae; sed aliqua eadem addita fuerint, tum ob minorem antiquitatis tenacitatem, tum ob insurgentes Haereses, ut testatur Ruffinus L. supra cit. inquires: *In ceteris autem locis (videlicet extra Romam) quantum intelligi datur, propter nonnullos Hereticos, addita quaedam videntur, per quem novella doctrina sensus crederetur excludi.* Quod Romae, saltem usque ad sua tempora, ex causis contrariis non esse factum ibidem docet his verbis: *In Ecclesia tamen Urbis Romae hoc non deprehenditur factum; quod ego propterea esse arbitrator, quod neque Haeresis ulla illic sumptis exordium, &c. ut supra N. 29. Quamvis & haec Ecclesia tandem illa addita ad sua Symbolum admiserit, quae supra N. 17. diverso caractere in vulgari Symbolo notavimus. Quae tamen omnia, & singulari in veteri Romano virtualiter, & implicite continentur, quemadmodum ex solutione probationum minoris jam videbimus. Quare*

47. Ad primum membrum primae probationis Resp. Hanc vocem *unum*, quae exstat in Symbolo Orientali, satis intelligi in his veteris Romani verbis: *Credo in Deum.* Namque aut Deus non est, aut nonnisi unus est, & pluralitas Deorum nullitas est Deorum, ait Tertullianus. Idem dici potest ad secundum membrum eiusdem prob. nam & illa verba, *Creatorem caeli, & terrae*, quae in Romano vulgari, & Aquilejensi Symbolo non habentur, contineri in ista voce veteris Romani, *Omnipotentem* quoad sensum, nemo scit.

Ad tertium Resp. Ruffinus in saepe citata expositione Symboli: *Sciendum, quod duo isti sermones in Ecclesia Romana Symbolo non habentur; constat autem apud nos addita Haereseos causa*

Sabelli, illius profecto, quae à nostris Patripassiana appellatur; id est, quae & Patrem ipsum, vel ex Virgine natum dicit, & visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur haec addidisse majores, & invisibilem Patrem, ac impassibilem dixisse. Haec ille. Ceterum in veteri Romano haec Haeresis implicite excluditur illis verbis, quibus *Filius Patris* passus esse asseritur.

48. Ad II. probationem fatemur hunc articulum non tantum in Aquilejensi, sed etiam in veteri Romano ita legi, quemadmodum relatus est; sed negamus illa à vulgari, & aliis per hoc discrepare sensu; Christus enim dicitur natus de Spiritu S., quomodo Angelus dixit S. Iosepho, quod in ea natum est de Spiritu S. est, graece, *Genathen*; quae vox tam ad conceptum, quam editum foetum pertinet. In vulgari tamen, & aliis Symbolis majoris explicationis gratia additum est, *Qui conceptus est de Spiritu S.* ne libido in conceptu irrepisset videretur. Ad Symb. Hierosol. dicimus: ex S. Cyrillo non posse satis colligi, quod dictum Symbolum illa verba non haberet, quia nec Symbolum continua oratione recenseret, nec singulas distincte particulas, & voces; sed summa dumtaxat capita fidei, ut constat ex illius Catechesis quartae N. 3. iuxta recentissimam ejusdem operum editionem, cura, & studio R. P. Tautée Congregationis S. Mauri; ubi inquit: *Sed antequam ea, quae ad fidem pertinent, tradam, praclare attingam videtur, si brevi compendio summa necessarium dogmatum nunc capita percenseam; quamquam & haec verba, Incarnatum; & hominem factum implicite contineant hunc sensum: Qui natus est de Spiritu S.; & Maria Virgine, talis enim partus decet Deum.*

49. Ad primum membrum tertiae probationis Resp. Passionem Christi sub eo, quod crucifixus est, & mortem sub eo, quod sepultus est, contineri; qui enim

B 2

cru-

crucifigitur, vere patitur, & non sepe-  
liantur nisi mortui.

50. Ad 2. respondet Ruffinus l. cit. *Sciendum sane est, quod in Ecclesie Romana Symbolo non habetur additum, descendit ad inferna. Sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur. Quam vim Nat. Alex. l. pariter cit. ita eruit; in quantum scilicet, sicut Corpus Christi descendit ad suum locum, nempe terram, quæ est locus corporum: ita & anima ad locum animarum, videlicet ad eam inferorum partem, in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ, ut eas inde educeret; atque ita captivam ducens captivitatem Triumphator in Cælum ascenderet.*

51. Ad IV. Probationis membrum primum Resp. illud nullum nobis negotium faceretur; fatemur enim hanc vocem Catholicam neque in Symbolo Aquilejensi, neque in Romano veteri, quod quantum ad verba, & sententias esse Apostolicum probavimus, reperiri; & hinc non mirum, quod S. Aug. l. cit. in Symboli textu illam non habeat, nam teste Uferio l. cit. *Hoc Symbolum illud est, quod tum à Maximo Tauriensi in homilia de irraditione Symboli explicatur; tum ab Augustino in Libello de Fide, & Symbolo competentibus exponitur: uti videri potest in cit. opusculo, quod in editione Benedictina tom. 6. pag. 151. refertur, & ipsilem proflus capitibus Symbolum Apostolorum exhibet, quibus Romanum vetus absolvitur. Addita ergo fuit hæc particula Symbolo Apostolico tum apud S. Petrum Chrysologum seem. 57. tum apud S. Cyrillum Catechesi 18. illuminatorum; tum in Symbolo vulgari, tamquam nota veræ Ecclesie Christi characteristicæ, in Sancta Ecclesia implicite contenta. Quemadmodum & Communio Sanctorum implicite in illa continetur, teste Catechismo Concilii Tridentini pag. 1. de Symb.*

c. 10. n. 20. ubi inquit: *Imprimis igitur Fideles docendi sunt hunc articulum esse illius, qui de una S. Ecclesia Catholica antea positus est, veluti explanationem quandam.*

52. Ad V. prob. Resp. tam to hujus, quam to vitam æternam virtute contineri sub illis verbis, quibus in Symbolo Romano veteri profitemur *carnis resurrectionem*; & quantum ad primam particulam per se patet: quantum vero ad secundam docet S. Th. 2. 2. q. 1. in (-) ubi resurrectionem carnis, & vitam æternam sub uno articulo pertinente ad glorificationem comprehendit.

53. Ad VI. prob. Resp. Tertullianum hoc, & aliis duobus locis, videl. *lib. de præscriptionibus Hæreticorum c. 13. & lib. adversus Praxeam c. 2. præcipua duntaxat Symboli capita representant, quibus errores tunc regnantes, scilicet Praxæ, Valentianorum, Marcionitarum, Apellitarum confodiebantur; Symbolum vero integrum, prout competentibus tradebatur, & ab ipsis reddebatur, sibi non sumit representandum, & exponendum. Unde nec ipsidem proflus verbis illud variis in locis ferri, imo nec ipsidem penitus sententias. Et ideo ex hac autoritate colligi non potest, quod Africana Ecclesia Symbolum suis competentibus traderet iis minutim capitibus, quæ Tertullianum prætermitteret.*

54. Quæres I. Quo tempore hoc Symbolum ab Apostolis fuerit conditum?

Resp. hac in re variare Auctores; Ruffinus enim in sæpe citata expositione Symboli asserit, illud esse conditum ipso anno, quo Christus passus est. Annatus in suo Apparatu dicit, illud esse conditum in quarto Apostolorum Concilio, quod, nulla nixu ratione, & autoritate ponit ad annum Christi 37. seu, juxta vulgarem computationem, ad annum 4. post Christi mortem. Baronius tom. 1. Annalium epocham illius ad Annum Christi 44. Claudii 2. collocat, seu, juxta eandem

com-

computationem, ad annum 10. post Christi mortem, quo occisus est S. Jacobus frater Domini. Et revera ulterius extendi nequit, cum teste eodem l. c. omnium testimonio certum, exploratumque habeatur, Petrum hoc anno venisse Romam, & consequenter Apostolos jam fuisse in omnes terras dispersos. Non est tamen verosimile, Apostolos hoc Symbolum condidisse post suam in Gentes dispersionem, & sine conciliari congregatione; cum per illud normam prædicationis, quæ universam orbem ad unitatem Fidei redaceret, constituere voluerint. Certum ergo est, hoc Symbolum ab Apostolis ante dispersionem suam esse editum, & quidem probabilis Jerosolymis, incertum ob Authorum disensionem, quo anno ante dictam dispersionem. Præplacet tamen sententia Baronii, quia congruentissimum fuit, ut discessuri ab invicem, prius in communi constituerent, quid quisvis in particulari prædicare postea deberet.

55. Quæres II. An singuli articuli hujus Symboli à singulis Apostolis eo ordine sint recenti, quo referuntur in sermone 115. de tempore S. Augustino adscripto? ubi ita legitur: Petrus dixit: *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem. Joannes dixit: Creatorem cæli, & terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait: Descendit ad inferos, tertio die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Mathæus dixit: Unde venturus est judicare vivos, & mortuos. Jacobus Alphaei: Credo & in Spiritum S. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum Communione, remissionem peccatorum. Judas Jacobi: Carnis resurrectionem. Mathias complevit: Vitam æternam, Amen.*

Resp. negative, & hoc ex duplici ratione: 1. quia sententia, quæ hoc loco adscribitur Joanni, videl. *Creatorem cæli, & terræ, item media, quæ deputatur Thomæ, videl. Descendit ad inferos, tandem ultima, quæ adnumeratur Mathiæ, vid. ly Vitam æternam non habentur in Symbolo Romano veteri; quod tamen ex testimonio Ambrosii, & Ruffini supra demonstravimus constare eo ordine, iis verbis, & sententiis, quibus ab Apostolis conditum est. 2. quia contraria, & quidem communis fere sententia in solo hoc sermone fundatur, de quo tamen Baronius L. mox cit. testatur, quod, an Augustinus sit, ab aliquibus revocatur in dubium, & Natalis Alexander in cit. disert. 12. ipsum vel non esse S. Augustinum, vel ab aliquo sciolo interpolatum per intrusum dictarum sententiarum ab unoquoque Apostolo dictarum, ex eo conjicit, quod iis expunctis, omnia melius fluant; sic enim habet ille sermo: *Quod græce Symbolum dicitur, latine collatio nominatur: collatio ideo, quia collata in unum totius Catholice Legis Fides Symboli colligitur brevitate; cujus textum vobis modo Deo annuente dicemus. Expungantur ergo hic 12. Symboli sententiæ, quæ cum Apostolorum nominibus continuo subjunguntur: apposite sequetur: Audite ergo Fratres charissimi, &c. post pauca: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, & reliqua, sicut supra. Auctor illius sermonis integrum hic apposuit Symbolum, cujus ipsa verba se dixerat proxime subditurum, sed Exscriptor, aut Typographus, qui id prius contextui inseruerat, ne in ineptam repetitionem incidere, delevit illud præter initium: sequentium autem loco repositum reliqua, ut supra. Integre enim recitatum esse Symbolum eo loci, tum præcedentia, tum adjuncta ostendunt. Subdit enim illius sermonis Auctor: Ego dilectissimi hæc verba non humana, sed Do-**

scribit

mini celestia sunt Sacramenta; qua in vestris cordibus ipsis misericordia prestante resident. Postea demum particulatim Symbolum repetit, & difficilioribus sententiis explanationem subdit. Quare is Auctor primo quidem Symbolum recitavit continua Oratione concisa. Parum autem verisimile est in brevi adeo sermone Symbolum ter fuisse repetitum. Quod ita est, si recitavit primo, ut cognosceretur, quam Apostolorum quisque sententiam attulisset; atque inde repetiit, tum recta transit ad particularem recitationem, eamque explanationibus permixtam. Hæc Natalis Alex. volens ostendere hunc sermonem saltem fuisse interpolatum. Addunt PP. Benedictini, qui hunc sermonem in appendice tom. 5. operum S. Augustini referunt, aliam conjecturam, qua evincunt, eum nequaquam Augustinum habere Auctorem; quia nempe Augustinus, suo scripto sermone 214. eodem tomo, religione se dicit impedire, quo minus Symbolum ipsum vel semel literis mandaret. Quod tamen hic fecisset, si sermo ejus esset.

56. Dices S. Leo ep. 23. ad Pulcherriam Augustam dicit: Ipsa Catholici Symboli brevis, & perfecta Confessio, qua duodecim Apostolorum totidem est consignata sententiis, &c. ergo sentit hoc Symbolum eo ordine ab Apostolis conditum, quo relatum est.

Resp. S. Leonem loqui de Symbolo veteri Romano, cum non diu post Ruffinum floruerit; quapropter ejus auctoritas militat contra adversarios. Quamvis ex illa tantum sequatur, singulos Apostolos singulos Articulos condidisse, quemadmodum nitide habentur in Symbolo Romano veteri; non autem quod Petrus hunc, Joannes illum determinate edixerint. Quare D. Bonaventura aliter eos enumerat, aliter Halensis quoad tertiam sententiam, & Archi-Diaconus quoad secundam: aliter demum Scotus in 3. dist. 25. qu. un. §. hor. art. Sed miror eos tam laboriose dedidisse in re, quæ divinationem non potest excedere.

57. Quare III. quæ fuerit occasio, aut motivum, ex quo Apostoli hoc Symbolum ediderunt?

Resp. Varia ab Authoribus adduci; & primum quidem indicat Ruffinus in præfatione expositionis Symboli, ut nimirum (hoc Symbolum) discessuris ab invicem, esset prædicationis norma, in commune constituta, ne forte alii aliò adducti, diversum aliquid his, qui ad Fidem Christi invitabantur, exponerent. 2. pariter adfert idem Ruffinus l. c. inquit: Judicium autem, & signum dicitur (Symbolum), quia illo tempore, ut Paulus Apostolus dicit, multi ex circumcisis Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratia ad prædicandum proficiebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco indicium istud posuere (Apostoli), per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum Apostolicas Regulas prædicaret. His addi potest 3. ut videl. memoria credentium, qui omnes Scripturas legere, vel mente retinere nequibant, hæc erendorum summa succurrerent. 4. item: ut videl. omnes Fideles in unius ejusdemque fidei confessione, ac professione concordessent. 5. denique ut fidei, & Ecclesiæ hæc Testera in futurum consulere, providerentque.

58. Hoc Symbolum longe lateque invaluit sic, quod debuerit memoria commendari una cum oratione Dominica, sæpiusque & publice, & privatim recitari, ut testatur S. August. homil. 5. de Symb. inter 50. dicens: Illud quotidie dicitis quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum. Imo hoc Symbolum hodiernum venerantur omnes Christiani, tam Catholici, quam Acaholici tanquam Orthodoxum; ut obvie testantur tam nostri, quam illorum libri symbolici.

\* \* \*

§. III.

§. III.

De Symbolo Nicæno.

59. Inter Symbola derivativa, & Apostolici explicativa agmen ducit Symbolum Nicænum, teste Ildoro lib. 6. Etymol. c. 16. & refertur c. Canones dist. 15. ubi habetur: Sub hoc (nempe Constantino) SS. PP. in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem Evangelicam, & Apostolicam secundum post Apostolos Symbolum tradiderunt.

60. Symbolum istud vocatur Nicænum, seu Fides Nicæna à Nicæa Urbe Bithynia in Asia ad Afcaniam Paludem, ubi fuit editum; referturque in Coletana Collectione Conciliorum Tom. 2. pag. 31. sub triplici lectione aliquantulum variantium, quarum prima dicitur ex ms. Bibliothecæ Colbertinæ, altera ex ms. Codice Bibliothecæ Ecclesiæ S. Moysis Venetiis, tertia denique latine, & græce ex S. Athanasio in Ep. ad Jovinianum, Socrate lib. 1. c. 5. & aliis fontibus, quam sequenti tenore hic adnumeramus.

**C**redimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium visibilem, & invisibilem Factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, consubstantiali Patri, per quem omnia facta sunt, & que in celo, & que in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in celos: & iterum venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Hic finitur Symbolum. Quæ sequuntur, Anatheina continent contra Arianos, hoc tenore: Eos autem qui dicunt: Erat aliquando, quan-

do non erat, & antequam nasceretur non erat: & quia ex iis, que non sunt, factus est; aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.

61. Hoc Concilium fuit celebratum A. C. 325. habetque sequentes prærogativas, 1. quod inter œcumenica sit primum. 2. quod in eo Fides Catholica sit primo explicata; & ita explicata per totum orbem Christianum divulgata. 3. quod ex 318. Patribus venerandum illum Cœtum constituentibus alii vitæ sanctitate, & miraculorum gloria, alii divinarum Scripturarum scientia, alii denique carcerum, tormentorum, memborumque pro Christo, in ultima illa persecutione, mutilatione tolerata, existerint plane admirabiles. Denique quod Ecclesia è cavernis, atque speluncis, in quibus sævientem tot persequendum procella hucusque latebat, quodammodo extracta, atque in apertum educta, præsentem conspexerit Orbis Principem Constantinum non jam carceres, exilia, catalas minantem, sed Venerabilissimorum Patrum pro Christo susceptas vulnerum cicatrices, effosquam lumina crebris oculis honorantem.

62. Tribus autem de causis convocatum est hoc Concilium à Constantino M. annuente Sylvestro I. Romano Pontifice, ad Ariane videlicet Hæreseos damnationem, ad dissensiones Ecclesiarum circa tempus Pælchatis celebrandi componendas, atque ad Melotii Schisma extinguendum. In eo, præter innumerabiles Diaconos, ac Presbyteros, convenerunt supra memorati Episcopi 318. adfuerunt in eo cum Ario & Episcopi Ariani, ut causam suam tuerentur. Imo hujus celeberrimi Conventus fama permoti complures gentiles Philosophi eo se contulerunt, ut divitiis ingenii sui sophistici dialecticæ captationibus ostentarent. Adfuit etiam Constantinus Imperator, & infra Episcopos,

non



non nisi ipsis annuentibus, sedit. Sylvester huic Concilio non prædedit personam, sed per suos Legatos Osum Cordubensem Episcopum, Vitum, seu Vitonem, & Vincentium Presbyteros, teste Hilario hujus Concilii apud Coletum tom. 2. pag. 3. ex Scripторibus coævis.

63. Occasionem condendi hujus Symboli Patribus congregatis dederunt in Divinitatem Christi blasphemam, ac propterea in hoc Concilio damnati Ariani, sic dicti à quodam Ario Ecclesie Alexandrinæ Diacono, qui Hæresim suam, ut perfidia nulli inferiorem, ita calliditate, & versutia omnes vincenentem a. C. 317. ut scribit Orosius l. 7. c. 8. vel, ut vult S. Hieronymus, a. 321. disseminare cepit, præcipuis per famosam suam Thalesiam, seu mollem illam, & impuram cantilenam, cujus fragmentum refert Athanasius in Ep. de Synodis Arimini, & Seleucia; in qua omne Hæresos suæ virus expressit, ut illud suavibus modulis in hominum, ac præcipue mulsercularum, ad voluptatem proclivium, animos infunderet; & cujus quinta essentia hæc fuit: *Christum alienum, exterumque esse à Patre quantum ad substantiam.*

64. Hi itaque egregii, si superis placeat, Arij Fautores, cum frustra Imperatori in ipso ingressu Concilii libellos contra Orthodoxos Episcopos obtulissent, ut eum illis insensum reddendo suam causam faciliterent; & præterea oblata Patribus formula Fidei nequidquam proficessent; eum Princeps piissimus libellos, ne quidem à se lectos, condicta die comburi juberet, & formula statim ac lecta fuisset, discerperetur, omnibus eam falsam, adulterinam, & blasphemam clamantibus, ut habet Theodoretus lib. 1. hist. Eccl. c. 7. pag. apud me 149. Insuperque eorum verba terrestria de Christo, illum videlicet esse ex non entibus, & non fuisse antequam gigneretur, & aliquando durationem existisse, quando non erat, &c. à Patribus apertis Scripturæ verbis argue-

rentur, quæ sine controversia monstrant eum Filium esse, & nequaquam ex non entibus, sed ex Deo, eumque & Verbum esse, & Sapientiam, & nequaquam creaturam, aut facturam, sed germen proprium sui Patris; Eusebiani (verba sunt S. Athan. in ep. quam inscribit, quod Nicæna Synodus congruit, & piis verbis decreta sua super impietate Ariana exposuerit, & habetur in operum ejus edit. Colon. a. 1617. pag. 145.) Eusebiani, inquam, seu Ariani pro inveterata sua & prava opinione volebant illud ex Deo esse, commune esse, & ad homines quoque pertinere; nec quidquam Christum eo nomine à nobis differre, eo quod scriptum esset: Unus Deus, ex quo omnia, & rursus: Vetera transferunt, ecce nova facta sunt omnia: omnia vero ex Deo. Ibi Patres, animadversus illorum fraude, & impietatis vastitæ, coacti sunt clarioribus verbis exponere, quid sit ex Deo esse, & scribere ex substantia Dei esse, ne ex Deo esse & commune, & aque ad Filium, & creaturas pertinere existimaretur. Hæc Athanasius, qui juvenis adhuc, & non nisi Diaconus Concilio Nicæno interfuit. Porro huic Symbolo Ariani metu perculsi subscriperunt, excepto Secundo Ptolemaidis, & Theona Marmonicæ Episcopis, qui cum Arium una damnare noluerint, ut scribit Theodoretus l. mox cit. neque Fidei Formulæ subscripsisse eos censendum est.

65. Exquisita vocis hujus Homousion ratio, qua omnes Arianorum argutate, & nitide excluderentur, quoque velut cypso quodam & columna eorumdem Hæresis prostrata jacebat, ut loquitur Ath. eorumdem malleus in ep. de Nicæna Synodi contra Arianos decretis; quantus sudes ipsis fuerit in oculis, incredibiles eorumdem testantur conatus, quibus eam sub Constantio, degenerare M. Constantii Filio, eorumque factore profus infascinato, è medio tollere studuerunt. Indicibile enim est, quan-

quantas persecutiones in defensores hujus voculæ concitaverint, præsertim in Athanasium, quot Conventus celebraverint, quot fidei formulas euderint, reciderintque, tantum ut hujus energiam voculæ labefactarent.

66. Testis est Concilium Tyrii, cujus celebrationem a. c. 335. dolo, & industria adhuc à Constantino M. obtinuerunt; in quo Athanasium Symboli Nicæni, ac vocis Homousion acerrimum defensorem, objectis falsis criminibus, repugnantibus incassum Orthodoxis, damnarunt.

67. Testis est Conventus, quem eodem anno Jerosolymis, occasione dedicationis Templi Martyrum, à Constantino magnificentissime extructi, habuerunt, in quo Arius receptus est, æquivocæ fidei formula, quam obtulerat Constantino, approbata.

68. Testis est Concilium, quod a. c. 336. Constantinopoli celebratum, in quo Marcellum Ancyræ Episcopum Orthodoxum; item aliud eodem loco A. C. 339. ab illis celebratum, in quo S. Paulum illius Urbis Episcopum deposuere.

69. Testis est Concilium, quod anno quinto post mortem Constantini, Christi vero 341. Antiochiæ occasione Encenarianarum, seu dedicationis Dominici auri, seu magnificentissimi Templi à Constantio ejus filio perfecti, presente eodem coegerunt, ut Gregorium Cappadocem in locum S. Athanasii, quem Vatiano odio persequebantur, quique tunc causam suam Romæ ad Apostolicæ Sedis Tribunal egit, Alexandrinæ Ecclesie præficerent, & quemadmodum, ait Socrates lib. 2. c. 5. ut Fidem consubstantialis profus labefactarent, & everterent. Quorum primum quidem perfecere; secundum quo præter conati sunt, eodem teste l. c. quatuor fidei formulas procedendo, tres quidem in Synodo, quartam vero aliquot mensibus post, in quarum nulla reperitur vox consubstantialis, quamvis

cæteroquin speciem, & larvam catholicæ doctrinæ præferrent. Sed eorum technæ, quæ ad idem Nicænam subvertendam, & ad imponendum simplicioribus tendebant, omnibus perspiciæ erant, & exploratæ. Habentur hæc formulæ in Coletanæ Conciliorum collectionis Tomo 2. pag. 112. & seqq. Circa hoc Concilium emendatur S. Hilarius à Nat. Alexandro c. 3. sæculi 4. hist. Eccl. §. IX. & Baronius §. X.

70. Testis est Synodus II. Antiochena ab illis a. c. 345. celebrata, ubi etiam fidei formulam ediderunt, quam prolixiorum appellarunt: in qua Ariane venenum Hereles, quamvis sub verbis æquivocis latens, facile detegitur. Præter alia enim in ea anathemate feriuntur illi, qui dixerint, quod non arbitrio suo, & voluntate Patris Filium generit: habetur hæc formula in eadem collect. eodem Tomo 2. pag. 636.

71. Testis est Schismaticum Conciliabulum, quod, factò divorcio cum Orthodoxis in Concilio Sardicensi a. c. 347. coactò, anno sequenti Philippopoli tenuerunt, cuique Sardicensis nomen, ad faciendum Fidelibus fucum, indiderunt. In hoc iterum proculca fuit fidei formula, cujus Colophonem iterum ita legimus: *Eos autem qui credunt... quod neque consilio, neque voluntate Pater generit Filium, anathematizat Sancta, & Catholica (Mehercle!) Ecclesia.* Quam formulam à S. Hilario non esse ita approbatam, ut neget eam ab Arianis, vel Semiarianis esse editam, vel ut eam Catholicæ Ecclesie proponat suscipiendam, ex exordio ejusdem libri de Synodis probat Nat. Alex. L. mox cit. §. 15.

72. Testis est conventiculum Sirmienfe à Semi-arianis triennio post Concilium Catholicorum, quod a. c. 349. ibidem celebratum est, seu a. 351. habitum, ut demonstrat Petavius contra Baronium, in quo denuo proculca fuit formula fidei, quæ à Criticis vocatur Sirmienfis prima, quam,

quam, etsi prout jacet, Catholicam cum iisdem profiteamur, in ea tamen, si sensum Semi-arianorum spectemus, suspecta merito sunt verba anathematismi tertii, ad Christus dicitur *Administer* Patri ad universalitatis creationem. Legitur hæc formula in cit. Colet. Concil. Collect. tit. tom. 2. pag. 848.

73. Testis est illa formula fidei, quam Ariani triennio post mox cit. Synodum apud Sirmium a. 357. ediderunt quæque apud S. Hilarium *lib. de Synodis* hanc præfixam habet inscriptionem: *Exemplum blasphemiam apud Sirmium per Osum, & Potamium conscripserit, & à Criticis vocatur formula fidei Sirmienfis secunda.* In hac enim pura puta Arii Hæresis asseritur his verbis: *Nulla ambiguitas est, majorem esse Patrem. Nulli potest dabitum esse, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris majorem esse Filio: ipso testante: Qui me misit major me est.* Habetur hæc formula in cit. tom. cit. collect. pag. 854. quam ab Anomais editam Semi-ariani corrigere volentes, aliam Ancyre a. c. 358. præcedentem formulam, duodecim constantem anathematismis, ut l. mox cit. pag. 859. videre est, in qua Filium *similis cum Patre essentia* prædicant: quo sensu autem similitudinem suam acciperent, in ep. Synodica ibidem pag. 878. anathematismo ultimo explicant his verbis: *Si quis--constantianalem, vel ejusdem cum Patre substantia Filium esse dicat, anathema sit.*

74. Testis est Concilium Arelatense a. c. 353. præsentem impiissimo Constante celebratum, ubi peritico Orthodoxis Episcopis damnationi Athanasii subscribere vi metuque compulsis, Paulinus sanguinolentum officium detractans in Phrygiam exul missus est.

75. Testis est tyrannicum, non Concilium, sed latrocinium Mediolanense a. 355. celebratum, in quo Ariani Episcopi eversionem fidei Nicæne, omniumque Episcoporum, qui damnationi Athanasii

non subscriberent, exilia meditabantur, tyrannico Imperatore Constantio accusatorem ejusdem se profertente; ubi Lucifer Calaritanus, Pancratius, Hilarius, Dionysius Episcopus Mediolanensis, & Eusebius Vercellensis, imo ipse Liberius Papa, qui Concilium annuente Constante convocaverat, eo quod fidem, & justitiam Apostolico pectore propugnarent, in exilium missi sunt.

76. Testis est infaustum Concilium Ariminense a. c. 359. celebratum, in quo etsi Patres Orthodoxi unanimes consensu tertiam formulam Sirmiensem, à Valente, & Ursatio Arianzæ factionis principis eorumdem subscriptioni exhibitam, rejicerent, damnarentque, eo quod voce *Homousion* careret, & Filium Patri per omnia similem tantummodo predicaretur; fidem Nicænam conspirante calculo probarent, damnatis insuper Ursatio, Valente, eorumque gregalibus, ac ita Concilium legitime, ac plausibiliter absolventes: nihilominus posthac partim exillidate Arianorum seducti, partim minis Imperatoris fracti, partim diuturnæ moræ tædio lassati fere omnes, una cum 10. Legatis, à se cum actis legitimi Concilii ad Constantium missis, voces *substantia*, & *constantianalis* è symbolo exemerunt, & pervertæ fidei formulæ Nicææ Thraciæ eodem anno ab Arianis cussæ, ac Sirmienfi in omnibus conformi, excepto, quod illa dicat Filium per omnia similem Patri, hæc vero solum habeat similem Patri, subscriberunt. De quorum lapsu legantur S. Athanasius, Hilarius, Sulpitius Severus, Hier. & Sozomenus lib. 4. c. 18. Quo facta, ut scribit S. Hier. in Dialogo adversus Luciferianos, Valens, & Ursatius, caterique nequitie eorum socii, egregii videlicet Christi Sacerdotes, ceperunt palmas suas jactitare, dicentes: *se Filium creaturam non negasse, sed similem creaturis, totumque orbem ingemuisse, seque Arianum miratum esse.* In quo posteriori loco hyperbolice loquitur,

## QUÆSTIO POLEMICA.

Utrum vox *Homousion* apposite, & prudenter inserta fuerit Symbolo Nicæno?

79. **P**ræsentem Quæstionem, quæ prodromam Quæstionis Polemicæ, quæ infra tractatur de Symbolo Lateranensi subnectetur, movemus, in qua voculam *transsubstantiationis*, eidem Symbolo intextam, exemplo hujus à calumniosis Protestantium nostri temporis justificabimus. Hi namque voculam illam iisdem, quibus Ariani præsentem, telis aggrediuntur, eam videlicet esse novam, in Scripturis nullibi expressam, atque exotici erroris in Ecclesiam invasivam. Quos refellemus, dum ex præsentis præambula quæstione l. cit. clare monstrabimus, Concilium Lateranense in addenda Symbolo voce in Scripturis nusquam expressa, magni hujus, ipsique non minus, quam nobis venerandi Concilii vestigia legisse, dum eadem ex necessitate, eodem consilio, eadem maturitate, eadem autoritate, eodemque invicto fundamento, quibus Nicænum contra Arianos suæ fidei inseruit vocem *Homousion*, suo Symbolo jam olim à Gregorio VII. Berengario confiteri præscriptum *transsubstantiationis* vocabulum intexit: ut ita calumnias suas, vel simul in Nicænam Synodum evocant, vel Gregorium VII. & cum illo Concilium Lateranense calumniare desinant. Sic itaque

## PROPOSITIO.

Nicæni Patres *Homousion* Patri Filium recte sunt professi; eamque vocem fidei Symbolo apposite, & prudenter addiderunt.

80. **P**robatur. Vocabulum, quod veritas Arianorum in explicandis pro favore suæ opinionis Sacræ Scrip-

tur, nam neque omnes Orthodoxi eidem formulæ subscriberunt, neque qui subscriberunt, in hæresim lapsi sunt, cum dictam formulam in sensu catholico subscriberint, atque hoc suum factum, ut primum Hæreticorum fraudes agnovere, retractarunt; ut eos late purgat ipse Hier. l. mox cit. Romano Pontifice insuper hæc acta rescindente. Sed neque hic Constantii conatus contra vocem *Homousion* quievere.

77. Testis est Conciliabulum Constantinopolitanum eodem anno celebratum; in quo 50. dumtaxat Episcopi novam, eamque novam à Concilio Nicæno fidei confessionem ediderunt; in qua non modo vox *substantia*, sed etiam *Hypostasis*, vel *substantia* impie abolita sunt, ut tradit Socrates lib. 2. c. 33.

78. Testis denique est Concilium Antiochenum alterum a. c. 361. habitum, in quo Meletius Nicænam fidem præter omnium spem professus, sede dejectus, atque formula fidei omnium teterrima ab Acacianis concinnata est; utpote in qua nomen *similis*, ex formula fidei Arimini & Constantinopoli perlecta, expunxerunt rigorosi Ariani, & Filium Patri tum substantia, tum voluntate dissimilem esse, & ex nihilo ortum asseruerunt, ut ex Sozomeno lib. 4. c. 28. refertur in sæpe cit. collect. tom. 2. pag. 937. ubi Collector pag. 938. addit: *Hic tandem finis magnæ tragediæ, ab Arianis post Nicænum Concilium per 30. & amplius annorum spatia confecta; cujus tot fuerunt actus, quot celebrata Concilia. Quorum ultimo funestum illud, quod primum in eorum animis insedit, Dei Filium (Proh seculus!) substantia & voluntate Patri esse dissimilem, infeliciter conclusum est.* Quorum conatus impiissimis simul & vanissimis Orthodoxi Patres nil opposuerunt, præter scutum Nicænz fidei, seu Symboli; quo illorum impetus tum apertos, tum cuniculis instructos eliserunt, prostraverunt, detriumpharunt.